



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Pauli Segneri Societatis Jesu Brevis Vitæ Historia  
cum ejusdem Concordia Quietis & Laboris in Oratione,  
Expositione in Psalmum Miserere, Considerationibus de  
Inferno, Expositione Cantici ...**

**Massei, Giuseppe**

**AUGUSTÆ Vindel. & DILINGÆ, 1707**

**VD18 12383155**

§. XVI. Ultimæ diei in Missione functiones.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47773](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47773)

luerant, tunc totis animi viribus dolentes illa deplorabant; & quia nonnulli palam se coram omnibus de iis accusare parati erant, vix tota disertorum imperiorum vi abstinere illos Pater potuit, & os iis obturare. Fuit inter alios in una sacrarum istarum functionum homo inops, qui extracta è sinu crumenâ nummis referta, en, clamare occæpit, hi nummi à me per injuriam alteri ablati sunt; accipe eos, Pater sancte, Pater benedice, & redde illos cui debentur: nec cessabat clamare & flere; cùm videretur sibi pro tenui lucro Christum cum Juda vendidisse; quæ res ad planctum similem ceteros qui audiebant, permovit. Jure igitur ac merito vir quidem magnus, cùm aliquot istiusmodi Pœnitentium exempla observasset, dicere solitus est; nunquam se in animum inducturum fuisse, Sacras P. Pauli Expeditiones tantarum esse virium, nisi suismet ipse oculis perspexisset.

## §. XVI.

*Ultima diei in Missione functiones.*

**I**nterim inter pias ejusmodi exercitationes ultima appropinquabat dies Generali, quam dicimus, Communioni destinata. Ut confertæ multitudini fieret satis, necesse plerumque fuit Sacri hujus Convivij functionem apertis in campis instituere, ubi extemporale templum ex arborum ramis, aliisque virentibus plantis ac herbis non absque ingenio & arte struebatur, & in eo Altare quàm fieri poterat ornatissimum; idque curabatur semper, ut pluribus portis aditus pateret, ut absque omni perturbatione ac tumultu parte unâ viri, parte alterâ femina, intrarent exirentque. Jam ante creperam auroræ lucem videre erat accedentes multis

viis

viis cum lucernis aut facibus, & harmonico cantu numerosas Sodalitates, cupidas Angelicæ Dapis quàm primùm sumendæ: & Pater primus omnium Sacris operatus, hilari & indefesso studio ubique aderat, nunc necessaria præparando, nunc divinum epulum suismet manibus dispartiendo, nunc verbis sanctum ardorem spirantibus omnium ad divinam dapem accedentium animos inflammando: quorum numerus sæpe ad octodecies; quin & ad vicies mille ascendebat: quamquam supra omnem numerum erant accensa eorum studia, pia suspiria, & lacrymæ aliis occasionibus haud sanè consueta. Nec poterat nisi teneros admodum sensus excitare, numerari sub illa viridantium arborum umbrâ, nunc quadraginta, nunc quinquaginta sacros Judices, singulos circumdatos multâ dolentissimè penitentium turmâ; sic ut omnes campi illi novum viderentur fructuum genus parturire, fructuum nimirum cælestis Paradyfi, qui ad reddendas DEO laudes efficacissimè excitabant.

## §. XVII.

*Ultima supplicationis Descriptio.*

**T**Ransacto subinde meridie, & tantillo temporis spatio ad vires reparandas concessio, initium fiebat postremæ, & præ ceteris apparatus Supplicationi. Primo post prælatam Crucem loco ibant puellæ albis induræ vestibus, coronâ è spinis in capite, & velo, quod partem vultûs obtegebat, oculis in parvum Christi in Crucem suffixi simulacrum, quod manibus præferebant, defixis. Has excipiebant feminae aliæ, Viduæ, Conjuges, solo vestium colore à primis diversæ. Mox Sacerdotum nudipedum venerabile agmen,